ADOLPH: VENATORIS

IN

NATIVITATEM

JESU CHRISTI

POËMATION;



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

LUGDUNI BATAVORUM,

Typis Wilhelmi Christiani Boxii.

Apud JUSTUM LIVIUM.

cIↃ IↃC XLIII.

AMPLISSIMO, CLARISSIMO,
DOCTISSIMO VIRO,

CASPARI BARLAEO,

Philoſophiæ Profeſſori in illuſtri
AMSTELODAMENSIUM
GYMNASIO.

Hoc exercitium Poëticum inſcribit
A. V.

MAgne Pater vatum, redivivi Gloria Phœbi,
Cui reſidet preſſis Laurea flexa comis.
Excipe per tenues rivos & flumina ductum
Carmen, ab Aonij verticis exul aquis.
Qui nunc exiguos mihi promit Cynthius ignes,
A veſtro melius nomine pandet Epos.

Nam tibi per totas Helicon conceditur undas,
  Phœbeuſque tuo pendet ab ore latex.
Sit tuus his cœptis favor, & concede canenti,
  Qui nunc ignotam carmine radit humum.
Tu mihi ſterne viam: nam vaſta per æquora puppim
  Dirigis, & certum Navita carpis iter
Nos legimus terras, & tuti littoris oras,
  Ne titubet mediis naufraga puppis aquis.

Tui officioſiſſimus

ADOLPH: VENATOR.

ADOLPH:

ADOLPH: VENATORIS

In Nativitatem

IESV CHRISTI

POEMATION.

TErrarum columen, primâq; ab origine gentem
Dicere Chriſticolam, & Divi cunabula partus
Exagitata ſuo nituntur viſcera motu.
Quæ mihi, quæ facies rerum eſt? vel quis color? unde
Carminibus noſtris tanti primordia cantus
Succedent? quis tollet humo mea membra? quis Autor
Præbet inacceſſas, Muſarum præmia, valles
Audaci penetrare gradu? an Latonia proles,
Muſarumve Chori Timplæa per arva ſonantes
Promovêre pedes? languentique excita ſomno
Noſtra per Aonium ducunt veſtigia clivum?
Fallimur? anne ſator Cœli, Genitorve Deorum
Signa dedit, cogitque novis præcordia monſtris
Ad delubra vocans, quá non Thymbræus Apollo,
Quá non Pierij fontes, Muſæve morantur?
Quicquid id eſt, Deus eſt, Deus eſt, qui tramite cæco
Ambiguum vatem, cunctantem, & multa timentem,
Fixa regens dextrâ veſtigia, Numinis ortum,
Et cantare dedit Divæ cunabula prolis.
Eſt locus Eoi ſolis conterminus undis,
Dives opum tellus: multos regnata per annos
Vnde olim Regum ex juſſis mandata ferebant

Terrarum ſpatia, & mundi moderata lupatum.
Ad ſua quæ domitas deduxit flagra phalanges
Perſarum regio: quæ nunc quoque Perſia fertur.
Hic ſoliti ſunt ,quam terris magis omnibus, orbes
Aſtrorum radiis metiri; hinc præſcia pacis
Indicia, hinc motus orientis dicere belli,
Et quid quodque manet regnum,quidve imminet orbi.
Nox erat, & placidi mitiſſima tempora ſomni
In requiem pictas volucres, pecudeſque, homineſque,
Compulerant: cum forte Magos [ita nomine dicunt]
Altius ardor agit, lectoque excuſſit; at illi
Corripuere gradum ad nemoroſa cacumina montis,
Mons erat, ad medium cujus ſtat verticis æquor,
Liberum, agens oculos ad diſſita culmina Cœli.
Hos ubi pervenere locos, ripaſque virentes,
Floribus hi ſparſi niveis, & gramine textis
Succubuere toris, oculoſque ad ſidera volvunt.
Pars Atlantiadæ ſidus, pars cornua Lunæ,
Pars ſtupet ad Paphiæ properantia lumina ſtellæ.
Iupiter huic, tardæque viæ Saturnius ignis,
Quique novo toties reſperſit ſanguine campos
Mars Geticus, belliqne regens moderatur habenas.
Quique novum toties reparatis curſibus annum
Texuit, inter utroſque volans, mediumque capeſſens,
Phœbus abeſt, neque quadrijngi ſuper aſtra rotatus
Lora vehit, curruve agilis luceſcit eburno.
Quiſque tenet Cœli Zonas: tum forte ſacratus
(Cœlitus ille venit: nec enim mortalia ſpirat)

Qui-

Quidam ait. Ecce viri, quæ vos veſana morantur
Sidera, quæ veteri Cœli ſtatione voluta
Cœlicus axis agit, raptatque volatilis ignes?
Illa, videte viri, quæ nunc per inane micantem
Flammam agitat, Cœlique tenet vix vincula, noſtris
Temporibus ducit natalem, ortuſque coævos
Stella: manet firmata, manet, nictuque trementi
Neſcio quid cœleſte Iubar monet: an nova pandat
Regna orbi, & tumidos agat in fera prælia Reges.
Quicquid id eſt, ſi fata manent nos, noſtraque; fata
Vertantur, noſtriſque velint ſuccurrere rebus.
Dixit, & ambiguis finem ſermonibus addit.
Tum ſenior, preſſans promiſſam in pectore barbam,
Talia voce refert, fatique arcana revolvit
Dii patrii (nec enim eſt ignota potentia Cœli)
Hoc opus, hic veſter labor eſt, vireſque Deorum.
Scilicet aſſurget magni ſuper æthera nomen
Regis, Idumæis jam nunc naſcentis in oris,
Cœlorum Divûmque genus, qui ſæcula condet
Aurea, qui populi afflicti miſerebitur ultro.
Huic tamen indignis mors circumvolvitur alis.
Ulterius tentare vetor, tentare recluſum
Fatorum, auguriique aditum, & penetrale futuri.
At ſi quem juvet ire viri, mecumque ſecundum
Carpere iter ſocium, & cunas adolere, Deoque
Sacra dicare, Deique optatos cernere vultus.
Rumpe moras, cui fert animus, mecumque ſacrata
Thura fove, ut facilis ſua præbeat ora tuenti.

Finie.

Finierat ſenior: tum tres ex ordine lectos
Inſtituunt, qui thura ferant, Myrrhamque, preceſque,
Aureaque ad ſacras qui volvant munera cunas·
Placatura Deum, aut Divorum ab origine prolem.
Et jam tempus erat, roſeum cum Aurora cubile
Conſcia venturæ lucis linquebat, & atras
Terrarum tenebras radio excutiebat Eoo
Lucifer, & ductor famulatus Apollinis igni
Sidereas pellit Choreas, comiteſque Dianæ.
Tum Juvenum lecti, & ſenior ſub luce rubenti
Proripiunt patriæ greſſus, atque auſpice Cœli
Sidere devenere viam, quæ proxima terræ
Iudææ promittit iter: nunc oppida luſtrat
Nil tardata virûm virtus, nunc æquora campi
Calcant, diverſoque agitant veſtigia callo.
Hinc refugus Iordanis, & hinc ſua cornua Nilus
Per ſeptemgemini rapit oſtia fluminis, illinc
Squallida ſemirutæ Jeruchus ſe mœnia pandunt,
Cœlorum Divûmque odium. mox Regius urbis
Creſcit apex, libratque ſuis è turribus ignes
Fatorum ſatur, & propius properante ruinâ
In regnum, veteres deſtructurâque Triumphos.
Stella tamen firmata ſuis ſtationibus hæret,
Nil temerare diem verita, & ſe credere luci.
Interea populi tacitas volitabat in aures
Fama, ferens veniſſe viros, quos ſedula veſtis;
Nec facilis flecti facies, & nubila vultus
Promittere acres pietate in numina Divûm,

Per-

Perſarumque modo cognatas edere voces.
Interea hi peragunt greſſus, Regemque requirunt.
Mox ubi pervenere locos, quá fulta columnis
Regia jactat opes: illi intra tecta vocati
Ad ſolium, ardenteſque in Regis vertice flammas
Obſtupuere, ſedet gelidis rigor omnibus idem.
Hinc Trabeæ decus, hinc litui, nunc purpura veſtis,
Nunc folii fulgor, ſtellataque Jaſpide ſerta
(Omen erant regni) luctantia verba morantur.
Sic tandem ſenior pudibunda ſilentia rumpit.
Hoc veſtrum miramur Ebur (Rex maxime) tanti
Indecores ſplendore tuam referente Tiaram.
Quidve autem inſoliti vultus, quid thura, quid aurum?
Quidve requirat iter variis ambagibus hæres?
Dicam equidem [né te dubias ſuſpenſa per artes
Vox agitet] tantarum evolvens pondera rerum.
Vidimus inſuetum Iubar illic, quá ſua Phœbus
Lumina matutinus agit: dum lampade fervet
Eoos inter fines & littora Gangis.
Hoc ubi Cœleſtes nobis volventibus orbes
Emicuit, natalia agens ſub tempore noctis:
Præmonuit veniſſe Ducem, qui lucida veſtrum
Nomen in aſtra ferens dominari in ſidera tendat.
Audiſti, quæ cauſa viæ, quâque improba durum
Vicit iter pietas Cœli ſtudioſa, Deûmque.
Quaſve autem Rex hic genitus ſe miſit in ædes
Scrutari libet, atque locos ediſcere partus.
Dixerat, & ſummo ſenior ſermone reſedit.

Obriguit Rex, & deceptus imagine rerum
Ludit in ambiguâ, ſtimulos fraudiſque, doliſque
Hinc fovet, hinc rapit: at tandem gravia ora reſolvens,
Rector Idumæus ſic verba reciproca reddit.
Audiimus, quo tendat iter, quæ fata, quis autor
Impulerit, juſſitque Ducis ſcrutarier ortus.
Quis locus, aut ſedes tanti cunabula partus
Excipit, & teneram primævo à flore juventam,
Vobiſcum ignorare datur. Vos corpora feſſi
Procurate viri, & Cereri indulgete, meroque,
Qualia multa mei plenis famulata caniſtris
Agmina ſervitii fundunt, onerantque, feruntque.
Hos autem, quos purpurei textura coloris
Ambit, & ad numeros veſtigia ſedula pergunt,
(Gens Pharaſæorum eſt) me conſuluiſſe juvabit.
His etenim Cœli favor, & clementia Divûm
Cœlitus inſpirat mentemque, animumque futuri.
Deſiit, & tumidis innaſcitur ira medullis.
Ac veluti magno torqueri murmure pinum
Cerninus: illa tremens primo lapſura ſub Euro
Nutat, & occiduo depreſſat vertice frondes.
Mox ubi ventorum ſedet impetus, illa ſub auras
Altior inſurgit, rutilæ & veſtigia Lunæ
Lambit, & intonſi ſuperat faſtigia Pindi.
Haud aliter magnos pariunt præcordia motus
Regis Idumæi, atque armatâ exæſtuat irâ
Vis læſi Ducis, ambiguiſque in fluctibus hærens,
Quidve agat, ignorat, vel quâ concurrere poſſit

Arte,

Arte, queat victor genito quâ illudere Regi:
Ne forte imperii faſces, ac vincla fatiſcant.
Mox ubi prima quies animo, & furor impete cæco
Deſiit, in pia tecta rapit veſtigia, quá ſe
Purpureis pandit Pharaſaica turba catervis:
Conſeſſum capit in mediis, quá plurima vocis
Aura valet, cunctaſque agitur vox pulſa per aures.
Hic reſidens ſtrepero Herodes prior ore locutus.
Turba virûm, cui ſe convexi pagina Cœli
Credit, & æterni famulantur verba Tonantis,
Audiſti veniſſe viros, qui ſidera dicunt
Prævia, qui geniti referunt natalia Regis.
Ferte viri, quâ ſe tanti cunabula Regis
Explicuere, mihique alternas reddite voces.
Cum quidam ingenuus rerum (cui nomen Alethes)
Fatur, & eloquii deſtringit pondera. Regum
Maxime, quæſitis conſultas addere voces
Si datur, & doctis edocto dicere rebus,
Et licito ſermone frui? non copia fandi
Deerit, & ignoto lucem ſuperaddere Regi.
Fare age, Rector ait: tanti emolumenta laboris
Incaſſum fluere haud patiar. tu lumina cæcis
Adde, per ambiguas circumverſatior artes.
Maxime Rex: ſi ſcripta Patrum (ſic infit Alethes)
Quærimus, his inerunt, queis ſe diſcrimina ſortis
Volvendæ expedient: his implorare quod uſquam eſt
Conceſſere Dii, & rebus gaudere futuris.
Nunc autem, quæ me teneat ſententia, dicam:

Urbs antiqua jacet noſtris contermina campis,
Bethlehemum dicunt populi: quæ paupere tecto
Surgit, & inviſis non conſpicienda Theatris
Mole arctá tegitur: quá olim regalis origo
Deſcendit (quod ſi ſub vero tégmine vatum
Conſcripſere Patres foliis mandata ſacrati,
Promiſſiſque manent) hunc illis affore ab oris,
Qui regat imperio populos, Stygiumque Tyrannum
Qui premat, & diri Princeps penetralia Ditis
Laxet, & undoſi divellat clauſtra profundi:
Nil mortale ſonans, teneris qui regnet in auris,
Et ſoboles cognata Polo, ſummoque Tonanti.
Finiit, & ſummo tacitum os ſermone recluſit.
Protinus ipſa tamen Regi haud fiducia ceſſit:
Quo ſcelerum telis, vel quo molimine fraudum,
Verſat, in obſtantem poſſit conſurgere motum.
Tandem ad ſe Perſas vocat, affaturque vocatos,
Nos etiam Cœli curas, araſque Deorum
Volvimus obſequio: nec tam plaga ſolis iniqui
Averſos jungit Judæâ à gente jugales.
Novi inconſpicuum Regem, & flammantis Olympi
Rectoremque orbis: qui vaſta tonitrua quaſſans,
Et qui fulmineos jaculatus ab arcibus ignes
Aethereis Cœli atque ſoli fundamina ſolvit.
Ille Deus nobis latæ telluris habenas
Imperio dedit, & Regali accumbere in oſtro.
Vos acres celerate viam, & cunabula Regis
Bethlehemi in tectis ſtudio explorate fideli.

Hinc

Hinc etenim ille Deûm promiſſus origine ſurget
Rex: mihi mox gnari rerum tranſacta referte.
Et mihi fert animus tremulis imponere flammis
Delectoſque greges, & maſcula thura Sabæûm
Litatura Duci, & capitis Diadema coruſci
Huic puero ceſſiſſe, & ſplendida vincla Tiaræ.
Sic fraudes, ſic ille dolos texebat. at illi
Monſtratum peragunt iter, & loca læta requirunt.
Illi, ubi ſurgentes depreſſo culmine muros
Conſpicuis videre procul Bethlemidum in oris,
Hæſere, atque imis naſcuntur gaudia fibris
Læta Dei cunis, intentique ora tenebant
In Cœlum, & ſociæ comitantia ſidera flammæ.
Mox ubi ſtella locos Cœli ſublimis ab arce
Vidit, & Ætherei præſepia conſcia partus:
Conſtitit extemplo, & tardatis curſibus hæſit.
Tum tacitam monuiſſe tulit longæva vetuſtas.
Hæc domus, hæc ſedes, hæc tantæ patria prolis,
Æthereique lares: nunc ſi cui certa voluntas
Divinam nati faciem, vultuſque coruſcos
Intentá luſtrare acie: vos limina greſſu
Haud tardi opprimite, & ſobole loca fœta Deorum
Intrepido peragrate gradu. Non divitis oſtri
Splendor, vel rutilo flammæ radiantis ab auro
Fulgura compreſſi reſtringent vincula viſus.
Pauperies, & nil cupientis copia vitæ
Hæc tenet, & teneræ conſors clementia vitæ,
Caſta fides juſtique tenax hæc limina complet,

Quæque habitat niveis pax & concordia *tectis*.
Talia ſecreto fingit dixiſſe ſuſurro
Ætas cana patrum, ſtabuli dum vertice ſidus
Conſidet, & fixis radiis audentius ardet.
Convenere Magi, & ſtabuli loca læta citato
Ingreſſu preſſere graves: non pulſa catervis
Limina, non vario turgentes agmine turbæ,
Conventuſque virûm denſi, ſtreperæque coronæ
Hos nixu prohibere valent, queis pectora vivus
Urget amor Cœli, fibraſque interritus urget.
Illi ubi ſuppreſſas ædes, vulgoque petitas,
Anguſtoſque lares videre, inopeſque colonos,
Obſtupuere. ſenex, quiſnam hic, ait, abdita Divi
Et genitæ nobis aperit cunabula prolis?
Nati forte parens (quem ſic male credidit orbis)
Aſtitit, eloquiturque, & amicâ talia fatur
Voce. Viri (dixit Ioſeph) quos Perſia nutrit,
Hoc habitus monſtrat nitor, & vox diſſona linguæ,
Quem petitis? quæ cauſa viæ eſt? nobiſque remoti
Cur maria, & terras, disjunctaque quæritis arva?
Sic contra ſenior. non divitis oſtia Nili
Mixta ſolo patrio properantia vota morantur.
Nos procul Eoo vicini limite ſolis,
Luſtratum Æthercam ſobolem, & cunabula Divi
Venimus, & ſparſos populi penetravimus agros.
Vidimus Herodem, tumidæ quâ murmure vocis
Fulminat in plebem: qui nos ad limina miſit
Bethlemidum, ac veſtras juſſit prorumpere in oras.

Nunc autem, noſtræ placeat ſi gratia gentis,
Tu Juvenis nobis dic, quá cunabula preſſat
Celſa Iovis proles, privatique incola tecti
Luſtrat humum, ac noſtræ ducit conſortia vitæ.
Sic tandem contra loquitur Ioſephus, & infit.
Digne ſenex Cœlo, & nulli pietate ſecunde,
Illic invenies puerum cum Matre jacentes,
Quá ſtabulum commune feris, hominumque catervis
Hoſpitii loca præbet inops. Ego prævius ibo.
Illa, licet magnâ deducat origine nomen,
Me patrem proles vocat: at me virginis ora
Non ullá tetigiſſe manu, ac mulſiſſe maritum
Agnovit Cœli Pater, & moderator Olympi,
Auguriumque dedit. nunc, ſi libet, ite, meamque
Uxorem, & rudibus nixam præſepibus altis
Dis genitam prolem ſpectate, & carpite greſſus,
Quos libant noſtris veſtigia prævia plantis.
Dixit, & urget iter: cupido mox agmine Perſæ
Ingreſſi cepere viam, ductumque ſecuti
Ioſephi mixtis penetrant loca fœta catervis.
Hærebant ædes domui (quam turba virorum
Implerat ſtrepitu ſocio non unius orbis)
Contiguæ, capris, poſitumque cubile caballis;
Nec deſunt aſini, preſſandæque ubera vaccæ.
Hoc illæ ſtabulo ſtabant, avidoque ſub ore
Corripiunt ſiccas detonſi graminis herbas.
Has tum Diva patens comites, brutaſque ſodales
Obtinuit, quæ nunc magni ſuper ætheris auram

Nomen

Nomen agit, Cœlique tenet pellucida ſedes.
Tum Perſæ occubuere ſolo, & ſubnixa ferebant
Membra genu ante Dei cunas ſub limine ſparſi.
Sic prior ora Magus ſenior ſermonibus aptat
Hoc memoranś,rapiturque in verba precantia ſupplex.
Dis prognate puer, ſeu tu ſtirps alma Tonantis,
Seu ſis ipſe Tonans: ſeu tu Saturnia Cœli
Regna tenes, terramve tuis ſub faſcibus urges,
Seu Phlegetontæi moderaris ſceptra profundi.
Seu Stygias Ditiſque domos, & limina mortis
Imperio premis, aut circum flammantia Cœli
Culmina ſidereum Jubar erras. An Deus alti
Immenſique maris venias, ac Thetyos undis
Cœlitus immineas. tu noſtra in vota vocatus
Fautor ades, jam fautor ades: quique ora fatigat
Noſtra tumor paritura preces voceſque rogantum,
Tu releva auxiliis, & noſtris excute labris.
Tu patriæ Dux ſoſpes ades, tu Numine plenus
Telluremque Polumque riga: te Martius ardor
Præſide ſubſidat, pulſis pax ingruat armis.
Tu ſcelerum rabiem, & veteris veſtigia vitæ
In melius referes. Sic te natalia Cœli
Sidera concipiant ſerum, patriumque Tonantem
Tardior inviſas: ſed diviſi agmina mundi
Te cultu reverente habeant, foveantque, colantque.
Illa autem, veſtris quæ nunc imponimns aris
Munera, queis flammis veſtras adolebimus ædes,
Excipe pacatis animis, & pectore largo.

Talia fatus erat, tum preſſo obmutuit ore
Perſarum ſenior: mox illum miſſus ab aſtris
Spiritus intus agit, totáque in mole reſedit.
Submiſſi mox dona ferunt, & Myrrha ſacratis
Ingeritur flammis, & odori copia thuris.
Creſcit odor, lambitque humilis laquearia fumus,
Vulcano ſpumante, domus, volvitque favillas,
Et tremulum crepat æde jubar: tum lucidus auri
Succedit ſplendor. ſic dona ac præmia complent.
Atque ea dum thalami arcanâ ſub parte geruntur,
Quidam miſſus adeſt; qui muta ſilentia rumpens
Dixit adeſſe viros, genitæ qui Numina Prolis
Voce petunt: genus eſſe rude, & niſi lumina fallant,
Paſtorum è numero, & terram proſcindere ſuetos.
I, Ioſephus ait, refer, & mea dicta reporta:
Dic penetrale petant, ſtabulique ad limina pergant
Spectatum cunas, & debita pignora Cœlo.
Ille abit, acceditque viros, ac talia fatur.
Quem puerum viſura tenet cum Matre cupido,
Rumpe moras, licet ire, datur fiducia patri.
Unde illos veniſſe viros, patriamque, domosque,
Autoremque viæ, & genitricis mœnia terræ
Evolvam, & dubiis ſuperaddam lumina rebus.
Forte inter ſylvas, atque arva recentia rivis
Paſtores ovium paſtis ſub nocte capellis
Cuſtodes hæſere: vigil tenet agmina cura.
Non tum cornuta luſtrabat lampade terras
Alma ſoror Phœbi, ſed fulvas igne rigarat

Splendidiore faces, & Cœlica regna tenebat.
Cum ſtatæ ad medium noctis devenerat umbra,
Æqualique rotâ medias diviſerat horas:
Tum celer intonſis Paſtoribus aſtitit acri
Lux gyro contorta, agilem & diverberat auram.
Quodnam hoc omen, ait Mycon? quid fulgura flammæ?
Quid portenta ferunt? & quis bona tempora noctis
Turbo interrumpit, noſtroque agit ore timores?
Vix bene deſierat, rutilis cum ſurgit in alis
Angelus, humanæ volitans ſub imagine formæ,
Hic contra aggrediens Paſtores talia fatur.
Turba intonſa virûm, placidæ queis munera vitæ
Sunt curis conceſſa Deûm, qui veſtra coortus
Terruit ora ſonus, ſævitque in gramine campi,
Et ſtupidum partâ anguſtat formidine pectus;
Divorum labor eſt: hi vos ad littora mandant
Bethlemidum gradier per opaci paſcua ruris.
Illis de Cœlo genitus latet abditus oris,
Hoſpitiique tenet vulgo mapalia fœti.
Hæc ubi cœleſti pius Angelus edidit ore,
Par levibus ventis Zephyro ſubnixus agebat
Remigium alarum, ac tenuem evaneſcit in auram;
Mortaleſque celer viſus relliquit. at illi
Imperio parere, ac juſſa capeſſere Divûm,
Approperant, ſtudioque acres greſſuque feruntur.
Quatuor è numero Paſtorum immenſa viarum
Compita poſcebant: reliquos devinxerat agris
Cura gregum, ac niveo mulgendæ lacte capellæ.

Iam-

Iamque iter emenſi ſummæ faſtigia turris
Ardua cernebant avidi, portaſque ſubibant.
Mox ſtabulum petere, & tenero præſepia cultu
Feſtinant rapidi greſſus, ſtabulique reperto
Veſtibulo adſtabant; cum pulſas nuncius aures
Ioſephi quatit, atque viros veniſſe reportat,
Agrorum dominos, intonſiſque ora foventes
Frondibus: his intra tectum ac præſepe vocatis,
Tum ſua nudatus ſic infit tempora Mycon.
Dicite Bethlemidæ, queis celſi pignora Cœli
Delituere caſis: procul hinc nos illius ergo
Venimus allatum viridantis munera campi,
Primitiaſque gregum. tum ſic Ioſephus amicos
Fudit ab ore ſonos, hilarique ita voce profatur.
Ecce viri, adſpicite, & cunabula cernite Divi.
Mox illi intendunt oculos, & imagine gaudent,
Præſentemque Deum non uno lumine cingunt.
Tunc fruges campi, & ſpumantia cymbia lactis,
Balantemque agnum geniti ad cunabula ſiſtunt.

His ubi patratis venerunt otia rebus,
Tum Ioſephus ait, ſic factâ voce locutus.
Si vacet uxoris, noſtroſque audire labores,
Et breviter caſus, quos (qui nunc veſcitur aurâ)
Pertulerit puer: attentas mihi pandite mentes.
Forſitan alternis jungebam fœdera dextris
Conjugii, Mariamque meâ ſub ſorte tenebam.
Non tamen ullus Hymen noſtri ſolennia voti
Gaudia compleiat; tumidi cum pondera ventris

Ut vidi, obſtupui, & violato à conjugis ore,
Ardeo abire fugâ, & thalamo ceſſiſſe jugali.
Sed tamen illa Deûm profugæ diſcrimina mentis
Præſcivit Pater, & certus præſagia cepit.
Vix bene nocturnos agitabat Cynthia currus
Sidereis evecta rotis, cum lumine largo
Aſtitit Angelicæ non infima Gloria turbæ
Angelus, impoſito Gabriel qui nomine dictus:
Ille alacres quatiens alas ita vocibus infit.
Vir celſo dilecte Jovi, cui laus datur uni
Divorum dici genitor: quo nunc tua partu
Virgo tumet, qui nunc magnum evaſurus in orbem,
Illibata tenet caſti præcordia ventris:
Nuncius à Jove miſſus adeſt, qui Numine plenus
Templa riget plebemque: eſt illi ſpiritus Autor
Cœlicus, Æternumque manens, & corpore cæco.
Hic erit Emanuel titulo propriore vocatus.
Vix ea fatus erat, ſedes petit ille Deorum,
Seque levi liquidum relevabat in æthera pennâ.
Ergo ubi prima diem mihi lux præbebat, & ortus;
Proripio ſtratis greſſus, & limina tecti
Virginis haud ignota peto, uxoremque reviſo.
Et jam tempus erat Latii cum juſſa per orbem
Cæſaris ad patrias revocabant agmina terras,
Cenſendi causâ, & ſignandi nomina gentis.
Nos ubi Bethlemidas, & avitæ mœnia terræ
Preſſimus, hoſpitii haud ſedem, tacitaſque latebras
Inveniſſe datum eſt: incerto at tramite laſſi

Veni-

Venimus ad ſtabuli tandem præſepia fœdi.
Vix bene certa quies fuerat, cum pondera ventris
Non uxor tulit, & vivas in luminis oras
Divino peperit fœtus enixa parenti.
Hic labor & caſus, hæc ſunt natalia Divi
Auſpicia, & totum portenta ferenda per orbem.
Hæc ubi Ioſephus, Perſis mirantibus, ortus
Acta renarraſſet pueri, hoc ſub fine quievit.
Hæc dum res effecta, Magi veſtigia quærunt
In patriam, reducesque vias triviaſque ſequuntur.
Iamque illi in medium ſpatium areſcentis arenæ,
Ægyptique ſolum, atque incommoda frugibus arva
Protulerant greſſus (celeres nam miſſa per auras
Vox monuit Perſas, neve huic loca ſubdita Divo,
Et Regi Herodi approperent tranſacta referre)
Cum Gabriel Ioſephum adiens ita vocibus infit.
Ecce iterum Cœli convexo miſſus ab axe
Ioſephe advenio, & Divûm mandata reporto.
Vos procul à motu ſecuram ducitis auram:
Cum tamen Herodes, non uno turbine quaſſus,
Faucibus immineat veſtris, cædesque minetur.
Heu fugite ignaræ mentes, pedibusque citatis
Ægyptum petite, & peregrini littora regni.
Cum venit illa dies, quæ tum ſuprema ſuperbum
Herodem rapiet, Matrem Puerumque paternis
Sedibus ipſe refer. qui nunc lactantia carpit
Ubera, Divinas animo ſtimulante loquelas,
Et referet totis portenta ſonantia terris.

Clariſſimo, Doctiſſimo, Conſultiſſimoque

VIRO,

IACOBO REYNERO, J. U. D.

& Secretario ENCHUSANO,

Felix anni auſpicium exoptat

A. V.

H*Aud tangunt humiles fulmineæ domos*
Flammæ, quas rutilo dejicit impetu
Divorum Pater, igneſque vibrantibus
Expendens manibus vaſta cacumina
Diſſolvit, teneræ non memores caſæ:
Vel quæ præcipiti turget ab Africo
Tempeſtas; Boreæ ſeu labor, & Noti
Inſultus placidum transvolat æquoris
Depreſſi ſpatium, mox magis arduis
Hærens verticibus. non aliter graves
Curas excipiunt, qui ſolii decus
Sectantur, dubio ſpem ſociam loco
Iungentes: At iis non tenet obſita
Res privata novis corda tumultibus.

Qui

Qui Regem ambigue verſat in impetu
Horror, vel ſtreperis concutit enſibus
Bellorum, exiguis exulat à domi
Propulſus laribus: ſed melior quies
Et ſecura beat: dum profugos agit
Motus, cum dubius Mars iacit aleam
Venturi exitii: cur igitur fores
Mens privata quatit liminis aulici?
Privato melius præſtitit à lare
Vitæ inconſpicuam ducere originem.
Vnde haud Gaza, Ducum ſub penetralibus,
Infeſtis animum verberat ictibus.
Quâ detur nitidos, & ſine nubibus
Tranſegiſſe dies, intuitis procul
Terræ fata Deûm mixta favoribus.

Nos, umbræ teretes, viribus exciti
(Vir magne) ingenii, quod ſibi propriam
Sedem ſub cerebro conſtituit tuo,
Hæc pro thure damus carmina, quæ mihi
Veſtræ Pierides cum Triviæ Deâ
Inſtillant: reduces tum tibi lumina
Iani utriſque ſuis frontibus ingruunt.
Et qui nunc rigidi bella crepant viri,
Iuſſit depoſitis Delius ignibus
Martis, clavigeri limina claudere
Iani: ut Divitiis Pax gravidum caput
Quaſſans per mediam ſe ferat orbitam
Mundi, quâ ſoboles digna Iovis feri

Matu-

Matutinus agit lumina Cynthius,
Aut ſive Heſperio lux niteat ſolo.
At quod ſi placidis non libet omnibus
Pacari ſtudiis: nos tumido procul
Diviſi populo ſæpe canemus hæc.
Privatis melius pro Foribus latent,
Excluſi ex humili limine turbines.

Tui officioſiſſimus

ADOLPH: VENATOR.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA